



# The Holy See

---

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CONFINIORIS CALIFORNIAE**

**(PACENSIS IN CALIFORNIA INFERIORE)\***A VICARIATU APOSTOLICO CONFINIORIS CALIFORNIAE

QUAEDAM TERRITORIA DETRAHUNTUR, QUIBUS NOVA

PRAEFECTURA APOSTOLICA CONSTITUITUR,

«PACENSIS IN CALIFORNIA INFERIORE» APPELLANDA. Qui arcana Dei voluntate idem ac beatus Petrus Apostolus officium munusque habemus, magna cura nitimus omniq[ue] diligentia contendimus ut per aptam dioecesum ordinationem ac dispositionem aeternae fidelium saluti quaerendae opportunius prospiciatur. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Aloisius Raimondi, Archiepiscopus titulo Tarsensis atque Apostolicus in Mexicana Republica Delegatus, petierit ab hac Romana Sede ut in eadem regione nova excitaretur apostolica praefectura : id enim plurimum se censere ad gregis utilitatem conferre; Nos eiusmodi postulationi concedendum esse arbitramur. Re igitur bene reputata, consilioque auditio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Fidei Propagandae praepositorum, consensum eorum supplentes qui in negotio aliquid iuris habeant, de Nostra summa et apostolica auctoritate haec, quae sequuntur, statuimus et iubemus. A vicariatu apostolico Confinions Californiae eam partem separamus, quae inter circulos parallelos 22,5 et 28 latitudinis septentrionalis, uti dicunt, sita est cum insulis adiacentibus. Quod territorium in apostolicae praefecturae formam redigimus, ab urbe principe *Pacensis in California Inferiore* cognominandae, eiusdemque Sodalibus Congregationis Filiorum a S. Corde Iesu concredendae ad Nostrum et Apostolicæ Sedis nutum. Huic novae circumscriptioni ecclesiasticae ea omnia iura et privilegia damus, quae ceteris fieri solent ; ei vero, cui praefectura gubernanda tradetur, etiam onera imponimus quae sacris Praesulibus eiusdem gradus tralatio more attribuuntur. Ceterum, ea quae mandavimus exsequenda curabit venerabilis Frater Aloisius Raimondi, quem nominavimus, cui omnes potestates agendae rei facimus, quas poterit etiam cuilibet viro delegare, dummodo sacerdotio insigni. Quod si eo tempore, cum negotium erit perficiendum, alias Delegationi Apostolicae in Mexico praesit, hic Nostra iussa faciet. Curabit idem venerabilis Frater ut acta re, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad S. Congregationem Fidei Propagandae cito mittantur. Has vero Litteras nunc et in posterum efficasces esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo

detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint. *Datum Roma, apud S. Petrum, die tertiodecimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nonagesimo quinquagesimo septimo, Pontificatus Nostri undevicesimo.*

CELSUS Card. COSTANTINI  
*S. R. E. Cancellarius*

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI  
*Congr. de Propaganda Fide Praefectus*

Hamletus Tondini

*Apostolicam Cancellariam Regens*

Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Caesar Federici, *Proton. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. L (1958), n. 4, pp. 139-141

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana